

ctum dicitur domus. Quod vero dicit, *Aliud et aliud*, intelligendum est, alterius et alterius naturae. Secundum quod probant, est quod homo factus est Deus: et hoc probant per tertiam auctoritatem, quae incipit ibi: *Quid natura humana in Christo homine meruit?* ex illo verbo, *Quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo*. Item ex quinta, quae incipit ibi: *Ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit?* ex illo verbo, *Ex quo ille homo esse cepit*. Item ex sexta, quae incipit ibi: *Homo quicumque, ex illo verbo, Homo ille ab initio factus est Christus*. Item ex septima, quae incipit ibi, *Gratia Dei nobis in homine Christo commendatur, ex illo verbo, Una cum illo persona Filius Dei feret;* quod qualiter intelligendum sit, in sequenti dist. dicitur. Tertium est, quod homo sit assumptus; et hoc probant per auctoritatem quintam, quae incipit ibi: *Ille homo ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit?* quae expresse hoc dicit; et hoc in praecedenti dist. solum est: quia homo dicitur assumptus, id est natura hominis. Quartum quod probant, est quod homo constet ex duabus substantiis, per octavam auctoritatem, quae incipit ibi: *Christum non ambigimus esse Deum Verbum;* quae expresse hoc dicit; sed Hilarius loquitur quantum ad formam significatam, non quantum ad suppositum.

Sunt autem alii. In hoc capite ponit positiones secundae opinionis. Ponit ergo duas positiones ejus, in quibus tota consistit: prima est, quod assumptum est compositum ex anima et corpore per modum naturae humanae, quod patet ex hoc quod humana naturam, ex qua et divina dicitur Christum constare, statim exponit per animam et corpus, ex quibus non constat natura humana, nisi secundum quod sunt conjuncta ad invicem; et quod hoc compositum sit homo, habet ex unione ad divinam personam; unde dicit, quod homo ille non tantum constat ex anima et corpore, sed ex his et Divinitate. Quod autem dicit: *In parte consentiunt*, intendit quantum ad hoc quod utraque ponit quod homo praedicat de Christo quid, et quod anima et corpus sint unita ad invicem. Secunda positio est, quod persona Verbi ante incarnationem fuit simplex, sed post est composita. Et post hoc remouet duo inconuenientia quae videntur sequi: primum est quod persona Verbi sit alia quam primo: quod remouet ibi: *Nec est ideo alia persona quam prius*; secundum quod persona sit facta: quod remouet ibi: *Nec tamen persona illa debet dici facta persona*.

De hoc Augustinus in lib. *Sententiarum Prosperei* ait. Ille ponit auctoritates probantes secundam opinionem; et probant duo: scilicet quod est una hypostasis, et quod persona post incarnationem est composita, quod satis patet in littera.

Sunt etiam alii qui in incarnatione Verbi non solum personam ex naturis compositam negant, verum etiam hominem aliquem, sive etiam aliquam substantiam, ibi ex anima et carne compositam vel factam differunt. Ille ponit positiones tertiae opinionis; et ponit quatuor, in quibus tota consistit: prima est, quod ex anima et corpore non sit aliquid unum; et hoc ponitur statim in principio; secunda, quod haec duo adueniunt divinae personae accidentaliter, sicut indumentum; et hoc ibi: *Sed*

sic illi duo, scilicet animam et carnem, Verbi personae vel naturae unita esse ajunt, ut non ex illis duobus vel ex his tribus, aliqua substantia vel persona ferret. Et deinde remouet duo inconuenientia. Unum quod sequitur ex prima positione, scilicet quod Deus non sit verus homo; et hoc ibi: *Qui ideo (1) dicitur verus factus homo, quia veritatem carnis et animae accepit*. Sed constat quod non potest evitare: quia remota unione animae ad corpus, non inuenitur veritas carnis; et praeterea adhuc si sit vera caro et vera anima, non erit verus homo, nisi sint unita. Secundum est quod sequitur ex secunda positione, scilicet, quod si anima et corpus adueniunt accidentaliter, non pertineant ad singularitatem divinae personae; quod remouet ibi: *Quae duo etiam in singularitatem vel unitatem suae personae accepisse legitur*. Patet etiam quod non potest hoc inconuenientia evitare: quia non sequitur: Si non addit ad numerum personarum, ergo pertinet ad singularitatem divinae personae: sicut etiam columba in qua Spiritus sanctus apparuit (2), non auget numerum personarum, non tamen pertinet ad singularitatem personae Spiritus sancti. Tertia positio est, quod persona Verbi est simplex post incarnationem sicut ante; in quo convenit cum prima; et hoc ibi: *Et quia ipsa persona Verbi quae prius erat sine indumento, assumptione indumenti non est diuisa, vel mutata*. Quarta, quod homo de Deo non praedicat quid, sed habitum; et hoc ibi: *Qui secundum habitum Deum hominem factum dicunt; et hoc probat ad inconueniens ducendo, ibi: Nam si essentialiter, inquit illi, Deus esset homo, vel homo esse Deus intelligeretur; tunc si Deus assumpsisset hominem in sexu muliebri, et mulier essentialiter Deus esset et e converso; quod tamen patet non esse inconueniens*.

Ne autem et isti de suo sensu influere videantur, testimoniis in medium productis quod dicunt confirmant. Ille ponit auctoritates probantes hanc tertiam opinionem: primum quod probant, est quod persona ista non fuit mutata per incarnationem, et quod humana natura non auget numerum personarum; et hoc per primam auctoritatem. Sed hoc non est contra secundam opinionem, quae quamvis ponat personam compositam (3), non tamen mutatam: nec sufficit ad probandum quod anima et corpus non pertineant ad singularitatem divinae personae, quia non est auctus numerus personarum. Secundum quod probant est (4), quod homo dicitur de Deo secundum habitum; et hoc per secundam auctoritatem, ibi: *Multis modis habitum dicimus, quae expresse dicere hoc videtur*. Item per tertiam, quae incipit ibi: *Si quaeritur ipsa incarnatio quomodo facta sit, ipsum Verbum Dei dico carnem factum, ex illo verbo, indutum*. Item ex quinta, sexta, et septima, quae Deum dicunt suscepisse hominem, aut humanam naturam, ut visibilibus esset. Sed non oportet quod omne quod suscipitur, sit accidens. Item ex ultima, quae incipit ibi: *Quomodo Dei Filius ex Maria est?* ex illo verbo: *Non fuit habitus ille tantum hominis; id est puri hominis, sed ut hominis: quia purus homo videbatur propter habi-*

(1) Al. quod ideo Deus.
(2) Al. deest apparatus.
(3) Al. deest assumptus.
(4) Al. secundum quod probatum est.

tum. Sed omnia haec per similitudinem dicuntur, et non per proprietatem, sicut ex praedictis patet. Tertium est, quod Christus dicitur homo, quia habuit corpus et animam ibi unita, ex quarta auctoritate, quae incipit ibi: *Dei Filius, cum sit Deus aeternus et verus, pro nobis factus est homo verus*

DISTINCTIO VII.

Positis sententiis, prolaticque testimoniis, intelligentibus propositionum locationem exquirat secundum singulas sententias, et prius seruantem primam.

Secundum vero primam dicitur Deus factus homo, et homo factus Deus: quia Deus coepit esse quaedam substantia rationalis, quae ante non fuerat, et illa substantia coepit esse Deus; et haec gratia, non natura vel meritis habuit. Unde recte dicitur (Rom. 1) Christus, in quantum homo, praedestinatus esse Filius Dei. Huic autem sententiae opponitur: Si illa substantia coepit esse Deus, et Deus illa, quaedam igitur substantia est Deus quae non semper fuit Deus; et quaedam substantia est Deus quae non est divina substantia; et Deus est aliquid quod non semper fuit quod et illi concedunt, Origenis testimonio inuenientes, qui ait: (1) Factus est sine dubio id quod prius non erat; sed addidit: Secundum carnem; secundum Deum 2 vero erat prius, et non erat quando non erat. Aliis quoque pluribus modis illi sententiae potest opponi, quibus supersedemus, exercitationis studium lectori relinquentes, et ad alia propraerata.

Ille explanat secundam sententiam et eandem locutionem sensus.

In secunda vero sententia hujus distinctionis talis videtur ratio, ut cum dicitur a Deus factus est homo, intelligatur coepisse esse subsistens ex duabus naturis, vel tribus substantiis; et e converso a homo factus est Deus: a qua subsistens in duabus naturis coepit esse Deus; et converso dicitur, quia Deus assumpsit hominem, et homo assumptus est a Deo. Unde Augustinus dicit in lib. de Trinit. 1, cap. 45: « Talis fuit illa susceptio quae hominem faceret Deum, et Deum hominem. » Variatur autem intelligentia, cum dicitur: Deus est homo, et homo est Deus. Dicitur enim Deus esse persona subsistens in duabus et ex duabus naturis; et persona subsistens in duabus et ex duabus naturis, dicitur esse Deus, id est Verbum, vel natura divina. Potest enim praedicari persona simplex vel natura de persona composita. Non est autem, ut ait Joannes Damascenus (5), idem dicere naturam vel personam.

Et quo sensu dicitur Christum praedestinatum.

Isti dicunt Christum praedestinatum esse, scilicet personam illam, in quantum est homo, id est in quantum est subsistens ex duabus substantiis, scilicet anima et carne: nam quantum ad naturam Divinitatis non est ipse praedestinatus. Non ergo in quantum in ea vel ex ea subsistit, praedestinatus est; sed in quantum subsistit in aliis duabus substantiis, id est in anima et carne, hoc est in quantum est homo.

Qualiter exponantur auctoritates primae, quae haec videntur obscurae severitiae.

Determinant etiam auctoritates quae deum conveniunt sententiae, et huic videntur contradicere: ut cum legitur homo ille assumptus a Verbo in singularitate personae, vel factus una persona cum Verbo, id est natura humana intelligatur, quae Verbo unita est in singularitate personae, id est ita quod eadem persona quae prius erat, et simplex erat, sine incrementum numeri et immutata permanens, licet composita. Compositionis vero hujus aliam dicunt esse rationem quam sit in

(1) In eum locum Apostoli (Ex edit. P. Nicolai).
(2) Nicolai ad marginem, vel secundum spiritum, ut Origenis textus habet, ubi et subiungitur quod licet in latinis exemplaribus habetur praedestinatus, in Graecis tamen habetur tantum destinatus.
(3) Lib. 5, cap. 3 (Ex edit. P. Nicolai).
(4) S. Th. Opera omnia. V. 7.

et plenus, ex illo verbo: *In eo vero plenus*. Sed haec auctoritas non negat unionem animae et corporis, immo magis ponit, per hoc quod dicit veram naturam: non enim est natura humana nisi ex compositione animae et corporis.

aliis hominibus: quia hujus ex tribus, aliorum ex duabus substantiis est compositus. Negant quoque humanam naturam esse personam, vel Dei Filium; et sicut unum eundemque dicunt esse hominem et Deum, et filium hominis et Filium Dei; ita unum et idem, non aliud et aliud, sicut nec alium et alium.

Quaedam ponit quae praemissis videntur aduersari.

Sed his videntur aduersari quae subdit continentur capitulis. Ait enim Augustinus super Joan. (tract. 69): a Aliud est Verbum Dei, aliud homo; sed Verbum caro factum est, id est homo. Non itaque alia Verbi, alia est hominis persona: quoniam utrumque est Christus, et una persona. Idem ad Felicianum (1) (cap. 11): a Aliud Dei Filius est, aliud hominis filius; sed non alius. Item: a Dei Filius, aliud de Patre, aliud de matre. Idem in lib. 1 de Trinit. (cap. 10, ante mod.): a Cum Filius sit et Deus et homo; alia substantia Deus, alia homo. »

Qualiter his respondeant.

Haec autem in hunc modum determinant: quia cum dicitur aliud Verbum Dei, aliud homo; sive alia substantia Deus, alia homo: alterius naturae significatur Christus esse in quantum est homo, et alterius, in quantum Deus; et aliud natura qua est homo, et aliud 2 natura qua est Deus. Ut enim ait Joannes Damascenus (de Fid. orth. lib. 5, cap. 5, in princ.), in converse et inalterabiliter unitae sunt ad invicem natura, neque divina distante a propria simplicitate, neque humana aut conversa in Deitatis naturam, aut in non existentiam diuisa (3); neque ex duabus una facta composita natura. Composita enim natura neutri earum ex quibus componitur naturis hominibus, id est consubstantialis, esse potest, ex alteris periciens alterum; ut corpus ex quatuor elementis compositum, nec ignis nominatur, nec terra, nec aer, nec aqua, nec horum alicui hominution dicitur. Si igitur, secundum haereticos, Christus unius compositae naturae post unionem extitit, ex simplici natura conversus est in compositam, et neque Patri simplicis naturae existenti, neque matri est hominiosus; et neque Deus neque homo denominabitur, sed Christus solum: et erit hoc nomen, scilicet Christus, non personae ipsius nomen, sed unius secundum ipsos compositae naturae. Nos autem Christum non unius compositae naturae dogmatizamus; et hoc nomen, scilicet Christus, nomen personae dicimus, non monothropos, id est uno modo dicitur; sed duarum naturarum esse significativum, scilicet Deitatis et humanitatis: ex Deitate autem et humanitate Deum perfectum et hominem perfectum eundem et esse et dicitur ex duabus et in duabus naturis confunderi. Si ergo dicitur aliud esse Filius (4) Dei, aliud filius hominis, quia alterius est substantiae vel naturae in quantum est Filius Dei, alterius in quantum est filius hominis; non quod ipse Filius Dei et hominis sit illa duo diversa, id est duae diversae naturae.

Auctoritate confirmat determinationem.

Aperte enim Hilarius in 9 lib. de Trinit. (circa mod.) ait: a Cum non aliud sit filius hominis, neque aliud Filius Dei (Verbum enim caro factum est); et cum ille qui Filius Dei est, ipse et hominis sit filius; requiro quis in hoc Filio hominis sit glorificatus. Evidenter dicit non aliud esse Filium Dei, et aliud filium hominis; ex quo praemissa reboratur et approbatur determinatio.

(1) Sive contra Felicianum Arianum.
(2) Al. et alia.
(3) Nicolai optime reversa: Magistri textus mutata.
(4) Al. deest Filius.

Alia etiam verba auctoritatum annotat, ut determinet.

Quod etiam dictum est, utrumque est Christus, et una persona, movere potest lectorem: sicut et illud quod Augustinus dicit in lib. 1 de Trinit. (cap. 7): « Quis forma Dei » formam servi accepit; utrumque Deus utrumque homo; sed utrumque Deus propter acceptum Deum, et utrumque homo propter acceptum hominem; et illud quod sit idem in libro de bono perseverantiae (cap. 14): « Qui fidelis est, in eo » veram humanam naturam credit, suscipiente Deo Verbo, ita » sublimatam, ut qui suscepit et quod suscepit una esset in Trinitate persona, assumptione illa ineffabiliter faciente personae unius in Deo et homine veritatem (4). » Si autem qui suscepit et quod suscepit, una est persona: ergo natura humana cum Verbo una est persona. Sed haec omnia ex tali sensu dicta fore tradunt, ut utrumque dicitur esse Christus et una persona: quia in utroque unus Christus, una persona subsistit. Ita etiam susceptum cum suscipiente una persona dicitur, quia susceptum suscipienti est sociatum in unitate personae, id est ita quod unitas personae permansit, non ita ut caro et anima sint Deus: quia, ut ait Hieronymus (2) (serm. de Assumpt. B. Virg., circ. med.), Verbum est Deus, non caro assumpta; et Ambrosius in (5) lib. 3 de Spiritu sancto ait: « Aliud est quod assumpsit, et aliud quod assumptum est. »

Hic quaedam ponit auctoritatem quae nullum videtur huic sententiae obviare.

Est autem et aliud quod huic sententiae plurimum videtur obviare: ait enim Augustinus in lib. 5 contra Maximinum (cap. 10): « Christus una persona est geminae substantiae: » quia et Deus et homo est. Nec tamen homo vel Deus pars huius personae dici potest: alioquin Filius Dei, Deus, autem legum suscepit formam servi, non erat totus, et crevit cum homo Divinitati ejus accessit. » Ecce Deum dicit non esse partem illius personae: unde videtur illa persona non constare ex Deo et homine. Ad quod etiam illi dicunt, illam personam non ita constare ex Deo et homine, quasi totam ex partibus. Ita enim partes alienius totius conveniunt, ut ex illis quod non erat constituitur. Non autem sic divina et humana natura in Christo uniantur: inexplicabilis enim est istius unio, quae non est partium, ratio. Quidam tamen nomine Dei ibi personam significari putant: quia de tribus agbat personis, quarum nullam Trinitatis esse partem dicebat; sicut pars istius personae non est Deus. Quod si de persona intelligitur, manifestum est quia persona non est pars personae. Possit etiam diligenter sententia secunda, et ejus explanatio, cui in nullo, vel in modico, obviat auctoritates in tertia sententia inductae, quae jam consideranda est.

In tertia sententia quae sit praenissarum propositionum intelligentia.

In hac igitur sententia sic dicitur Deus factus homo, quia hominem accepit; et sic dicitur esse homo, quia hominem habet, vel quia est habens hominem; et homo factus est Deus, quia assumptus est a Deo; et homo esse Deus, quia habens hominem est Deus. (cum ergo dicitur, Deus homo est, vel habitus praedicatur, vel persona, sed humanata: et quod persona humanata praedicatur, Cassiodorus ostendere videtur di-

(1) Al. unitatem.

(2) Hieronymi supposititium opus (Ex edit. P. Nicolai).

(5) Lib. de Incarnat. dominicae Sacramenti, cap. 6 (Ex edit. P. Nicolai).

Divisio textus.

Postquam distinxit Magister tres opiniones circa modum unionis, hic secundum eas ostendit qualiter locutiones quibus unio significatur, sunt intelligendae; et dividitur in duas partes: in prima exponit eas secundum singulas opiniones; in secunda relinquit auditori iudicium de dictis opinionibus, ibi: *Satis diligenter juxta diversorum sententias*

cens: « Factus est, ut ita dixerim, humanatus Deus, qui etiam » in assumptione carnis Deus esse non destitit. » Quod tamen varie accipi potest, ut dicitur, Deus factus est humanatus, vel Christus factus est Deus humanatus: utrumque enim sane dici potest. Cum ergo dicitur, Factus est Deus homo, multiplex secundum istos fit intelligentia, ut humanam naturam accepisse, vel humanum Verbum esse incepisse intelligatur: nec tamen si incepit esse humanatum Verbum, ideo sequitur quod incepit esse Verbum; nec si Deus factus est humanatum Verbum, sequitur quod factus sit Verbum: sicut de aliquo dicitur: Hodie iste coepit esse bonus homo, vel factus est bonus homo: nec tamen hodie coepit esse homo, vel factus est homo.

Quo sensu secundum istos dicitur Christus praedestinatus.

Secundum istos dicitur Christus, secundum quod homo, praedestinatus esse Filius Dei, quia est praedestinatum a Deo ab aeterno, et in tempore collatum ei per gratiam, ut ipse ens homo sit Filius Dei. Hoc enim non semper habuit, sed in tempore per gratiam accepit: quod videtur Augustinus notasse in lib. (de praed. Sanct., cap. 13), ad Prosperum et Hilarium dicens: « Praedestinatus est Jesus, ut qui futurus » erat secundum carnem filius David, esset in virtute Filius » Dei. » Hic etiam cum dicitur Christus minor Patre, secundum quod homo, secundum habitum hoc intelligitur dictum, id est inquantum habet hominem sibi unitum. Unde Augustinus in lib. 4 de Trinit. (cap. 7): « Deus Filius Deo » Patri natura est aequalis, habitu minor: in forma enim » servi minor est Patre; in forma Dei aequalis est Patri. » Et quia secundum habitum accipienda est incarnationis ratio, ideo Deum humanatum, non hominem deificatum dici tradunt: unde Joannes Damascenus (lib. 5, cap. 2): « Non » hominem deificatum dicimus, sed Deum hominem factum. »

Quod non debet dici homo dominicus.

Et licet dicitur homo Deus, non tamen congrue dicitur homo dominicus: unde Augustinus in lib. Retractat. (1, cap. 19): « Non video utrum recte dicitur homo dominicus, » quod est mediator Dei et hominum Christus Jesus, cum » sit utique Dominus. Et hoc quidem ut dixerim, apud quos » dam legit tractatores catholicos (1): sed ubiqueque hoc » dixi, dixisse me nollem: postea quippe vidi non esse dicendum; quamvis nonnulla possit ratione defendi secundum istos: et di ut persona Filii in duabus et ex duabus » existere naturis, secundum adhaerentiam et inhaerentiam: » altera enim adhaeret ei, altera inest. »

Quod praedicta non sufficiunt ad cognoscendam hanc questionem.

Satis diligenter, juxta diversorum sententias, supra positam absque assertione et prae iudicio tractavi quaestionem. Verumtamen nolo in re tanta tamque ad dignoscendam, dilucide, putare lectorem, istam sibi nostram debere sufficere disputationem; sed legat et alia forte melius considerata atque tractata, et ea quae hic movere possunt, vigilantiori atque intelligentiori, si potest, mente discutat: hoc firmiter teneo quod Deus hominem assumpsit, homo in Deum transit non naturae veritabilitate, sed Dei dignatione; ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem; nec homo in divinam, glorificatus in Deum: quia mutatio vel veritabilis naturae diminutionem et abolitionem substantiae facit.

(1) Nicolai apponit divinarum eloquiorum.

supra positam absque assertione et praed iudicio tractavi quaestionem. Prima dividitur in tres partes: in prima exponit dictas locutiones secundum primam opinionem; in secunda secundum secundam, ibi: *In secunda vero sententia huius distinctionis talis videtur ratio*; in tertia secundum tertiam, ibi: *In hac igitur sententia sic dicitur Deus factus homo, quia hominem accepit*. Circa primum tria facit: primo exponit qualiter dicitur Deus factus homo; secundo quomodo dicitur Christus praedestinatus, ibi: *Secundum istos dicitur Christus, secundum quod homo, praedestinatus esse Filius Dei*; tertio quomodo dicitur minor seipso, ibi: *Hi etiam cum dicitur Christus minor Patre, secundum quod homo, secundum habitum hoc intelligitur dictum*. Et quia secundum habitum accipienda est incarnationis ratio; ideo Deum humanatum, non homi-

endum primam opinionem; secundo objicit contra, ibi: *Hic autem sententiae opponitur*. Exponit autem illas propositiones in prima parte, in quibus fit mutua praedictio Dei et hominis mediante hoc participio factus, quas primo exponit; et illas in quibus fit praedictio mediante hoc participio praedestinatus, quas secundo exponit, ibi: *Et hoc gratia non natura*. Objectionis autem solutionem ponit, ibi: *Quod et illi concedunt*.

In secunda vero sententia huius distinctionis talis videtur ratio. Hic exponit eas quae sunt secundum secundam opinionem; et primo exponit propositionem; secundo solvit quae videtur esse contra hanc opinionem, ibi: *Determinant etiam auctoritates quae primae conveniunt sententiae, et huic videtur contradicere*. Circa primum tria facit: primo exponit illas in quibus fit praedictio mediante hoc participio factus; secundo illas in quibus fit mediante hoc verbo est, ibi: *Variatur autem intelligentia*; tertio illas in quibus fit praedictio mediante hoc participio praedestinatus, ibi: *Isti dicunt Christum praedestinatum esse*.

Determinant etiam auctoritates quae primae conveniunt sententiae, et huic videtur contradicere. Hic solvit tria quae videtur esse contra hanc secundam opinionem; et tria facit circa hoc: primo solvit auctoritates quae videtur probare quod homo sit assumptus; secundo illas quae videtur probare quod Christus sit duo, ibi: *Sed his videtur adversari quae subditis continentur capitulis*; tertio illas, quae probant quod persona non sit composita, ibi: *Est autem et aliud quod huic sententiae plurimum videtur obviare*. Secunda pars dividitur in duas partes: in prima solvit auctoritates quae dicunt Christum esse aliud et aliud, ex quo sequitur ipsum esse duo; in secunda solvit illas quae dicunt Christum esse duo, vel utrumque duorum esse Christum, ibi: *Quod etiam dictum est, Utrumque est Christus, et una persona, movere potest lectorem*. Circa primum tria facit: primo objicit; secundo solvit, ibi: *Haec autem in hunc modum determinant*; tertio solutionem confirmat, ibi: *Aperte enim Hilarius ait, et similiter dividitur pars secunda: quia primo objicit; secundo solvit, ibi: Sed haec omnia ex tali sensu dicta fore tradunt*; tertio solutionem confirmat, ibi: *Quia, ut ait Hieronymus, Verbum est Deus, non caro assumpta*.

Est autem et aliud quod huic sententiae plurimum videtur obviare. Hic objicit contra positionem personae: et primo objicit; secundo solvit, ibi: *Ad quod etiam illi dicunt*.

In hac igitur sententia sic dicitur Deus factus homo, quia hominem accepit. Hic exponit dictas propositiones secundum tertiam opinionem; et dividitur in duas partes: in prima exponit propositiones; in secunda infert corollarium ex dictis, ibi: *Et quia secundum habitum accipienda est incarnationis ratio; ideo Deum humanatum, non hominem deificatum dici tradunt*. Circa primum tria facit: primo exponit qualiter dicitur Deus factus homo; secundo quomodo dicitur Christus praedestinatus, ibi: *Secundum istos dicitur Christus, secundum quod homo, praedestinatus esse Filius Dei*; tertio quomodo dicitur minor seipso, ibi: *Hi etiam cum dicitur Christus minor Patre, secundum quod homo, secundum habitum hoc intelligitur dictum*.

Et quia secundum habitum accipienda est incarnationis ratio; ideo Deum humanatum, non homi-

nem deificatum dici tradunt. Hic concludit ex dictis quod homo potest denominative praedicari de Deo ut dicitur Deus humanatus, non autem Deus de homine; et circa hoc duo facit: primo ostendit quod non potest dici homo deificatus; secundo quod non potest dici homo dominicus, ibi: *Et licet dicitur homo Deus, non tamen congrue dicitur homo dominicus*.

QUAESTIO I.

Hic est quaestio de locutionibus exprimentibus unionem; et primo quaeritur de locutionibus exprimentibus unionem per hoc verbum est simpliciter; secundo de his quae expriment unionem cum hoc participio factus; tertio de illis quae expriment unionem cum hoc participio praedestinatus.

Circa primum quaeruntur duo: 1^o de haec: *Deus est homo*, et e converso; 2^o de haec: *Christus est homo dominicus*.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum haec sit vera, Deus est homo.

(3 p., qu. 16, art. 1.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod haec sit falsa, *Deus est homo*. Magis enim conveniunt quae uniantur in personam et naturam unam, quam ea quae ununtur in personam, et non in naturam unam. Sed anima et corpus ununtur in naturam et personam unam; Deus autem et homo in personam, et non in naturam. Cum ergo anima non possit praedicari de corpore, nec e converso, videtur quod Deus non possit praedicari de homine, nec e converso.

2. Praeterea, major est unitas trium personarum in natura divina quam unitas duarum naturarum in persona Christi. Sed una persona non praedicatur de alia. Ergo nec homo praedicatur de Deo, nec e converso.

3. Praeterea, nihil praedicatur univoce de Creatore et creatura. Sed homo univoce praedicatur in Christo et in nobis. Ergo non praedicatur de Deo.

4. Praeterea, quicquid praedicatur de Deo, aut est absolutum, aut relativum. Sed homo non est relativum, quia non dicitur ad aliquid; et praeterea praedicatur aliquid secundum duas opiniones: quod non convenit relativis, quae, secundum Augustinum (serm. 58 de temp. sive 3 Dom. infra oct. Epiph.), non praedicantur aliquid, sed ad aliquid: nec potest praedicari de Deo tanquam absolutum; quia absoluta quae veniunt in divinam praedicationem dicuntur de tribus personis; quod non est de hoc nomine homo. Ergo non possumus dicere, quod Deus sit homo.

5. Praeterea, quod praedicatur, aut praedicatur per se, aut per accidens. Sed homo non praedicatur per se, aut per accidens. Sed homo non praedicatur per se de Deo, quia sic conveniret omni supposito divinae naturae; nec iterum praedicatur per accidens, quia Deo nihil accidit. Ergo homo nullo modo praedicatur de Deo.

6. Praeterea, omnis praedictio vel est per essentiam, sicut homo est animal; vel per inhaerentiam, sicut homo est albus; vel per causalitatem, sicut haec: Si dies est, sol luget (1) super terram.

(1) Al. sicut dies est sol luget etc.

Sed cum dicitur: *Deus est homo*, non est praedicatio per causam, ut sit sensus, *Deus est causa hominis*: quia sic posset dici: *Deus est leo vel stela*; nec est praedicatio per inhaerentiam: quia humanitas non accidentaliter inhaeret Deo, ut supra dictum est: nec per essentiam, quia alia est essentia hominis et Dei. Ergo propositio est falsa.

7. Praeterea, secundum artem Philosophi (in 1 Topic., cap. 5) quatuor sunt genera praedicatorum; scilicet essentialia non conversum, ut genus; et essentialia conversum, ut definitio; accidentalia non conversum, ut accidens; accidentalia conversum, ut proprium. Sed nullo istorum modorum se habet homo ad Deum, ut patet per se. Ergo nullo modo potest praedicari de ipso.

8. Praeterea, propositio dicitur esse in materia remota, quando formae significatae sunt diversae. Sed formae significatae per hoc nomen *Deus* et per hoc nomen *homo*, sunt diversae maxima diversitate. Ergo haec propositio, *Deus est homo*, est in materia remota: ergo est falsa: quia in remota materia omnes affirmativae sunt falsae.

Sed contra, Rom. 9, 5: *Quorum patres ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus (1) benedictus in saecula*. Sed Christus secundum carnem natus, est homo quidam. Ergo homo est Deus.

Praeterea, Bernardus dicit, 3 de Consid. (cap. 9): *Tantum et expressam vim unionis in se praefert illa persona qui Deus et homo unus est Christus, ut si alterum de altero praedices, non erres*. Ergo *Deus est homo*, et e converso.

Praeterea, quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem. Sed *Christus est Deus*, et ipsemet est homo. Ergo *Deus est homo*.

Praeterea, quaecumque sunt unum secundum suppositum, unum de altero praedicatur. Sed idem est suppositum Dei et hominis, ut dictum est supra. Ergo *Deus est homo*.

Solutio. Respondeo dicendum, quod haec propositio, *Deus est homo*, ab omnibus conceditur, sed diversimode a diversis. Secundum enim tertiam opinionem est praedicatio per inhaerentiam, sicut cum dicitur, *Homo est albus*: quia ponit, quod humana natura accidentaliter a venit divinae: et adhuc est valde impropria ex duabus partibus. Primo, quia partes humanae naturae vocat hominem, scilicet corpus et animam; quod improprie dicitur: non enim proprie dicitur quod partes sunt totum, sed quod totum est ex partibus: unde non proprie potest dici, quod anima et corpus sint homo. Secundo, quia si etiam proprie hoc diceretur, tamen cum haec duo secundum hanc opinionem adveniant Filio Dei quasi habitus, non potest homo proprie praedicari de eo nisi denominative, sicut nec vestis de homine; sed dicitur homo vestitus. Ita etiam haec opinio dicit, quod dicitur homo, quia habet hominem, et partes humanae naturae: unde non proprie diceretur homo, sed humanatus, sicut homo vestitus non vestis dicitur. Unde est contra veritatem sacrae Scripturae, et symboli, quae Deum hominem factum dicit; et propter hoc est haeretica. Secundum vero primam opinionem, est praedicatio per identitatem, non per informationem: *Deus enim supponit suppositum aeternum*: quod quidem non informatur per formam significatam per hoc nomen *homo*, sed informatur per ipsum suppositum hu-

(1) *Al. deest Deus.*

manae naturae, quod est aliud a supposito divinae naturae: et quia illa supposita sunt eadem persona, ratione hujus identitatis potest fieri praedicatio de se invicem, ut sit sensus: *Deus est homo*; id est, ille, scilicet *Christus*, qui est homo; et est similis modus praedicandi, sicut cum dicitur: *Essentia est Pater*: quia essentia divina est eadem secundum rem cum supposito quod informatur paternitate; quamvis ipsa essentia paternitate non informetur. Sed hoc non potest stare: quia hoc quod dicit, duo supposita esse eandem personam, non potest intelligi nisi duobus modis. Primo, quod ex duobus suppositis constituatur una persona; et sic neutrum illorum suppositorum esset illa persona: quia quod constituitur ex aliquibus, non praedicatur de illis, ut dictum est dist. 6, quaest. 1, art. 1: unde expositiva istius, *Deus est homo*, scilicet, ille qui est *Deus est homo*, erit falsus quantum ad utramque partem: quia neque *Deus* esset illa persona, nec illa persona esset *Deus*. Sed hoc non est intellectus ejus, quia non ponit personam compositam sed simplicem. Alio modo potest intelligi ut suppositum divinae naturae sit illa persona simplex secundum rem, et illa persona simplex sit illud suppositum humanae naturae, quod ei advenit per assumptionem. Sed hoc est omnino impossibile, cum implicet contradictionem, scilicet quod illud quod advenit, sit distinctum in sua singularitate, et sit idem illi existenti cui advenit: idem enim est quod est secundum substantiam unum; unum autem est in se individuum, et ab aliis divisum: unde suppositum humanae naturae, quod advenit divinae personae, esset distinctum a divina persona, inquantum est singulare, per se; et esset non distinctum, inquantum est idem ei: unde persona illa invenitur habere identitatem cum uno suppositorum, scilicet cum supposito divinae naturae, non autem cum supposito humanae naturae: et propter hoc expositiva hujus locutionis, *Deus est homo*, scilicet, ille qui est *Deus*, est homo, est falsa quantum ad alteram partem: quia ista persona non est homo, quamvis *Deus* sit illa persona; unde non potest eam verificare. Et ideo sola opinio secunda vera est, quae verificat eam: potest enim poni, quod cum dicitur, *Deus est homo*, est praedicatio per informationem essentiali, quia *Deus* supponit suppositum personae Filii; et hoc idem est suppositum humanae naturae per illam naturam informatum, secundum modum intelligendi, inquantum subsistit in ea. Unde sicut haec est vera et propria, *Petrus est homo*; ita et ista, *Deus est homo*. Est tamen in hoc differentia: quia in ista, *Petrus est homo*, homo praedicatur inesse subjecto ratione suppositi, et ratione formae importatae per subjectum; sed in ista, *Deus est homo*, praedicatum non inest subjecto ratione formae significatae per subjectum: non enim convenit ei ratione Divinitatis, sed ratione suppositi. Hoc autem sufficit ad hoc quod sit vera: quia propositio non verificatur ratione formae significatae in supposito, sed ratione suppositi, sicut patet infra in respons. ad quintum.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut anima et corpus non praedicatur de se invicem; sic nec divina natura et humana. Sed *Deus et homo* non tantum naturam, sed etiam suppositum naturae designant: et ideo possunt praedicari de se invicem; sicut ex illa parte habens animam et habens corpus praedicatur de se invicem.

ARTICULUS II.

Utrum Christus possit dici homo dominicus.
(5 p., quaest. 16, art. 5.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod *Christus possit dici homo dominicus*. Augustinus enim dicit in lib. 85 Qq. (quaest. 53): *Nonendum est ut illa bona aeterna expectentur quae fuerunt in homine dominico*; et loquitur de *Christo*. Ergo potest dici dominicus.

2. Praeterea, homo *Christus Jesus* est magis in participatione divinae bonitatis quam alii sancti. Sed alii sancti propter participationem divinae bonitatis dicuntur dominici, ut patet per Glossam 1 Reg. 1: *Quis est homo, nisi homo dominicus?* Ergo multo magis *Christus* potest dici homo dominicus.

3. Praeterea, sicut dominicus dicitur denominative a Domino, ita divinus dicitur denominative a Deo. Sed Dionysius (de eccles. Hierarch., cap. 4) frequenter nominat *Christum* divinum Jesum. Ergo et potest dici ille dominicus.

4. Praeterea, sicut haec est vera, *Deus est homo*: ita haec, *Homo est Deus*. Sed dicimus Deum humanatum. Ergo possumus dicere hominem dominicum.

5. Praeterea, conditio servitutis magis exprimitur nomine servi quam nomine dominici. Sed *Apostolus* nomen servitutis in *Christo* ponit Philipp. 2, 7, *formam servi accipiens*. Ergo etiam possumus dicere eum dominicum.

Sed contra, quod praedicatur de aliquo essentialiter, non potest de eo praedicari denominative. Sed *Deus* praedicatur de homine *Christo* essentialiter: quia haec est vera, *Hic homo est Deus*. Ergo videtur quod non debeat praedicari denominative.

Praeterea, ad idem est auctoritas Augustini in littera posita.

Solutio. Respondeo dicendum, quod hoc adjectivum *dominicus* potest duo importare: uno modo id quod habet aliquam participationem Domini; alio modo rem quae est Domini sicut possessio; vel sicut effectus, sicut dicuntur verba dominica; vel sicut pars, sicut dicitur pes dominicus. Quantum ergo ad secundam opinionem pertinet, nullo modo ille homo potest dici homo dominicus: homo enim importat suppositum aeternum, cui essentialiter natura Domini competit: non per participationem: nec est quasi possessio vel effectus vel pars Domini; sed est ipse Dominus, quia Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. Similiter etiam tertia opinio, cum ponit hominem quasi habitum Dei Filio advenire, non potest ponere quod homo denominetur per Deum, sed magis *Deus* per hominem: quia habitus denominat habentem, et non convertitur. Tamen inquantum *dominicum* dicitur possessive, posset ponere quod dicitur homo dominicus, sicut dicitur vestis Soeratica. Sed prima opinio posset ponere quod diceretur homo dominicus etiam per participationem, inquantum hoc nomine *homo* non importatur suppositum aeternum secundum eos.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus illud retractavit (in lib. 1 Retract., cap. 19) sicut in littera ponit Magister; et cum dixit, non intellexit quasi diceretur dominicus ratione suppositi, sed ratione naturae, quae fit in participatione Domini, sicut et Divinitatis, per hoc quod assumi-

Ad secundum dicendum, quod secundum hoc quod personae divinae sunt unum, praedicantur de se invicem: dicitur enim, quod natura Patris est natura Filii. Sed quia non sunt unum in persona, ideo nomina personalia de se invicem non praedicantur. Et similiter hic, quia naturae sunt diversae et persona eadem, nomina quae significant vel supponunt personas, praedicantur de se invicem, non autem nomina quae significant naturas tantum.

Ad tertium dicendum, quod homo univoce praedicatur de Deo et aliis hominibus. Quod autem dicitur, quod nihil dicitur univoce de Deo et creaturis, intelligendum est de illis quae praedicantur de ipso inquantum est *Deus*.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, *Deus est homo*, *Deus* supponit personam Filii, et significat Divinitatem. Propositio autem non verificatur ratione significati, sed ratione suppositi: et cum hoc suppositum sit subsistens in humana natura, hoc nomen *homo* per se praedicatur de ipsa: unde secundum quod vera est, est per se praedicatio, sicut ista, *Petrus est homo*. Unde non sequitur quod possit praedicari de omnibus quibus inest forma significata per hoc nomen *Deus*: quia non est per se ex parte formae significatae; sed ex parte suppositi. Et hoc est singulare in ista materia: quia nunquam alibi invenitur quod sit suppositum unum essentialiter in duabus naturis subsistens: et ideo non potest dici quod sit per accidens, sicut hoc altum est homo; id enim quod est per se suppositum hominis non est pars significationis hujus nominis *album*: album enim solam qualitatem significat, cum nomen significet unum: ex albedine autem et subjecto non fit unum simpliciter: unde hoc nomen *album* copulat surum subjectum quasi extrinsecum. *Deus* autem importat suppositum divinae naturae, quod etiam idem est humanae, non quasi extrinsecum, sed sicut clausum in significatione hujus nominis *homo*; et ideo haec non est per accidens, *Deus est homo*; sed habet aliquid simile cum illis quae sunt per accidens, inquantum praedicatum non inest subjecto ratione formae importatae per subjectum.

Ad sextum dicendum, quod est praedicatio per essentiam, non quod Divinitas sit humanitas, sed quia suppositum divinae naturae essentialiter est suppositum humanae naturae: et hoc significat locutio.

Ad septimum dicendum, quod reducit ad praedicatum de genere, sicut ista, *Petrus est homo*; quia eadem est ratio veritatis in utraque.

Ad octavum dicendum, quod non est in materia remota, sed in materia naturali: quia propositio verificatur non ratione naturae, sed ratione suppositi humanae naturae. Nec est simile in hoc et in aliis: quia in aliis ad diversitatem naturarum sequitur diversitas in suppositis: unde si formae sunt diversae quae significantur per subjectum et praedicatum, supposita non possunt esse eadem. In *Christo* autem sunt duae naturae et unum suppositum.

tur in unitatem personae Filii Dei, qui est Deus et Dominus.

Ad secundum dicendum, quod ille homo non participat proprie loquendo, Divinitatem vel dominium; sed est plene Dominus: quia homo importat suppositum aeternum, ut dictum est; et ideo non est similis ratio de ipso et de aliis.

Ad tertium dicendum, quod divinum potest dici aliquid, etiam si habeat plenam Divinitatis rationem (dicimus enim divinus essentiam, divinas personas); et ideo hic homo, quia est divina persona, potest etiam dici divinus. Sed *dominus* non dicitur de illis qui habent plenam rationem dominii: non enim dicimus dominicas personas.

Ad quartum dicendum, quod quia natura humana in Christo habet quandam similitudinem cum habitu, ut prius dictum est, dist. 6, quaest. 5, art. 2 ad 1; ideo ea quae pertinent ad humanam naturam, inveniuntur quandoque praedicari de Christo per modum habitus, quamvis non ita proprie; et ideo Cassiodorus addit: *Ut ita dixerim*. Non tamen est similis ratio ex alia parte: quia divina natura non habet similitudinem cum habitu. Vel dicendum, quod cum dicitur Deus humanatus, non sumitur humanatus in vi nominis denominativi, sed in vi participii; unde tantum valet *humanatus*, quantum *homo factus*; et hoc patet per auctoritatem Damasceni positam in littera.

Ad quintum dicendum, quod Apostolus non dicit Christum, vel Filium Dei, esse servum, sed quod formam servi accepit, quia humana natura Christi si separaretur, ut dicit Damascenus (lib. 5, de Fide, cap. 21), sub libris intelligentiis, a Filio Dei, et serva est, et ignorans est; et ideo de natura bene potest dici hoc adjectivum *dominus*, ut dicitur dominica natura.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de locutionibus quae expriment unionem per hoc participium *factus*; et quaeruntur duo: 1.º utrum Deus factus sit homo; 2.º utrum homo factus sit Deus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum haec sit vera, Deus factus est homo.
(3 p., quaest. 16, art. 6; et *Opusc.* 2, cap. 6.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur, quod haec sit falsa: *Deus factus est homo*. Mutari enim genus est ad fieri. Sed Deus nullo modo potest dici mutatus. Ergo non potest dici factus aliquid.

2. Praeterea, factum esse, terminus est fieri, quod significatur esse circa id quod factum dicitur. Sed circa Deum, qui dicitur factus homo, non potest poni aliquid fieri; suppositum enim factionis esse non potest. Ergo haec est falsa: *Deus factus est homo*.

3. Praeterea, terminus factionis est perfectio ejus quod fit, quia est finis factionis. Sed cum dicitur: *Deus factus est homo*, terminus factionis importatae per participium est homo. Ergo significatur quod esse hominem sit perfectio Dei, qui factus homo dicitur. Hoc autem est impossibile. Ergo haec est falsa: *Deus factus est homo*.

4. Praeterea, in hoc nomine *homo* non possunt intelligi nisi duo, scilicet suppositum naturae, et

natura humana. Sed dicta propositio non potest verificari ratione naturae, quia Deus nunquam fuit neque est natura humana; similiter nec ex parte suppositi; quia hoc nomen *homo*, secundum quod de Christo praedicatur, non importat nisi suppositum aeternum Filii; et semper verum fuit dicere, quod Deus est persona Filii. Ergo nullo modo praedicta locutio verificari potest.

3. Praeterea, homo non est conditio diminuens de ratione factionis. Ergo si Deus factus est homo, possum inferre quod Deus sit factus. Hoc autem est falsum. Ergo et primum.

Sed contra, Joan. 1, 14: *Verbum caro factum est*. Verbum autem Deus est. Ergo Deus factus est caro, id est homo.

Praeterea, in symbolo Niceano dicitur de Filio, quod est Deus de Deo, et quod homo factus est. Ergo Deus factus est homo.

Praeterea, omne quod est et non fuit prius, dicitur esse factum. Sed haec est vera, *Deus est homo*, ut supra dictum est; et non fuit semper vera. Ergo Deus factus est homo.

Solutio. Respondeo dicendum, quod cum dicitur, *Deus factus est homo*, hoc participium *factus* tripliciter potest se habere in ista locutione. Uno modo, ut feratur ad totam propositionem, ut sit sensus: Factum est quod Deus est homo; et sic est vera: quamvis hic intellectus non possit haberi secundum proprietatem locutionis: tum quia non est de illis quae habent determinatam compositionem, sicut necessarium et contingens; tum etiam quia, cum sit adjectivum masculini generis, requirit substantivum. Secundo, dictum participium potest determinare alterum extremum compositionis absolute; et sic, sive determinet praedictum sive subjectum, locutio est falsa. Omnis enim determinatio potest praedicari de determinato. Haec autem falsus est, *Deus factus est*; et similiter illa: *Ille homo factus est*, demonstrato Christo, nisi aliud addatur: quia supponit suppositum aeternum secundum secundam opinionem. Tertio modo dictum participium potest determinare subjectum in comparatione ad praedictum; et sic locutio vera est secundum omnes opiniones. Et non obstat quod videtur ponere fieri circa Deum: quia hoc fieri quod participium importat, non est nisi fieri rationis: dictum est enim supra (dist. 2, qu. 2, art. 2, quaestione 5, ad 2), quod unio qua Deus dicitur esse homo, est quidem secundum rem in humana natura, sed secundum rationem in Deo, sicut sunt aliae relationes quae ex tempore de Deo dicuntur. Et quia non dicitur factus homo nisi secundum quod relatio unionis de novo advenit ei postquam non fuit; ideo, sicut relatio illa non ponit aliquam rem novam in Deo, sed dicitur secundum rationem tantum intelligentis; ita etiam et factus non importat circa Deum nisi fieri rationis, sicut etiam cum dicitur Psal. 89, 1: *Domine refugium factus es nobis*.

Ad primum ergo dicendum, quod mutari proprie dicitur per remotionem a termino a quo; fieri autem per accessum ad terminum. Quia igitur nihil remotum est a Deo neque secundum rem neque secundum rationem; aliquid autem advenit ei secundum rationem, etsi non secundum rem; ideo potest dici fieri sed non mutari; sicut etiam sciens quando considerat, non mutatur, proprie loquendo, sed perficitur, ut dicit Philosophus (in 2 de Anima, text. 37 et 38).

Ad secundum dicendum, quod illud fieri est tantum rationis; et ideo non est inconveniens quod circa Deum ponatur.

Ad tertium dicendum, quod obiectio illa procedit quando est fieri reale; tunc enim oportet quod aliquid realiter adveniat; et hoc aliquid modo est perfectio ejus cui advenit. Se autem non est in proposito, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod dicta locutio verificatur ratione utriusque simul, scilicet suppositi et naturae: quamvis enim suppositum illud semper fuerit, non tamen semper fuit suppositum humanae naturae, secundum quod significatur hoc nomine *homo*.

Ad quintum dicendum, quod humana natura habet similitudinem cum accidente in Christo, in quantum advenit divinae naturae post esse completum. Non enim sequitur: Petrus est factus albus; ergo est factus; quia albus diminuit de ratione facti simpliciter: quod enim factum est, nunc est, et prius non fuit: non autem sequitur, si prius non fuit albus, quod non fuerit simpliciter: quia albus advenit post completum esse: et ita non sequitur: *Deus factus est homo; ergo Deus est factus simpliciter*.

ARTICULUS II.

Utrum haec sit vera, Homo factus est Deus.
(3 p., qu. 16, art. 7.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur, quod haec non sit vera: *Homo factus est Deus*. Dicit enim Damascenus, et habetur in littera, quod non dicimus hominem deificatum. Sed idem est dicere hominem deificatum et factum Deum. Ergo homo non est factus Deus.

2. Praeterea, cum dicitur: *Homo factus est Deus*, aut homo tenetur pro natura, aut pro persona. Si pro natura, natura autem humana non est facta Deus, quia nunquam est nec fuit Deus; ergo est falsa. Si pro persona, persona autem Filii Dei fuit semper Deus; ergo nullo modo haec est vera: *Homo factus est Deus*.

3. Praeterea, secundum Damascenum (ubi supra), homo et Deus communicant sibi idiomata, ut quiddam dicitur de homine, possit dici de Filio Dei. Sed haec est falsa: *Filius Dei est factus Deus*. Ergo haec est falsa: *Homo factus est Deus*.

4. Praeterea, quia Deus factus est homo, possum arguere, quod Deus est homo recens. Si ergo homo factus est Deus, homo erit recens Deus: quod est contra Psalm. 80, 10: *Non erit in te Deus recens*.

5. Praeterea, quod dicitur fieri aliquid, praesupponitur secundum intellectum ad hoc quod fieri dicitur. Sed Christus non prius intelligitur homo quam Deus. Ergo non potest dici, quod homo factus sit Deus.

6. Sed contra, Augustinus (lib. 1 de Trin., cap. 15): *Talis fuit unio quae hominem faceret Deum, et Deum hominem*.

7. Praeterea, homo est Deus, et non semper fuit Deus. Ergo factus est Deus.

8. Praeterea, factio quae importatur per participium, secundum rem non ponitur in Deo, sed in humana natura. Sed homo significat humanam naturam. Cum ergo hoc participium ponat rem

suam circa subjectum in comparatione ad praedictum, videtur quod magis sit haec vera: *Homo factus est Deus*, quam haec: *Deus factus est homo*.

Solutio. Respondeo dicendum, quod haec propositio similiter tripliciter potest accipi sicut praecedens. Et in primo sensu est vera, sicut et prima, et eadem ratione: sicut enim factum est ut Deus sit homo, ita factum est ut homo sit Deus. In secundo vero sensu est falsa, sicut et prima, et eadem ratione: quia iidem sunt termini, sed conversim positi. In tertio autem sensu, secundum quod determinat subjectum in comparatione ad praedictum, diversimode iudicatur a diversis opinionibus. Prima enim opinio, quia ponit quod homo supponit suppositum creatum, dicit quod haec est vera, sicut et prima: quia sicut persona divina non semper fuit illud suppositum, et modo est illud suppositum; ita illud suppositum non semper fuit persona divina, et modo est. Secunda autem opinio et tertia ponunt, quod homo, prout de Christo praedicatur, non habet aliquid aliud suppositum quam suppositum aeternum: sed secunda dicit, quod homo supponit suppositum aeternum; tertia autem, quod homo copulat ipsum, sicut termini accidentales: et quia illud suppositum nunquam non fuit Deus, ideo haec est falsa secundum hoc, *Homo factus est Deus*: concedunt tamen eam in primo sensu, qui non est proprius sensus ejus. Ideo secundum has opiniones magis est falsa quam alia: secundum autem primam simpliciter est vera. Quia tamen aliquo modo conceditur, respondendum est ad utrasque objectiones.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus loquitur secundum proprietatem propositionis, et sic est falsa.

Ad secundum dicendum, quod prima opinio diceret, quod teneretur pro supposito, non pro persona; aliae vero duae dicerent, quod teneretur pro persona; quam tamen non determinat participium, sed totam locutionem: quia factum est ut persona divina in humanitate existens etiam esset Deus.

Ad tertium dicendum, quod hoc intelligendum est de illis quae conveniunt naturae secundum se, et non habent repugnantiam ad alteram naturam. Quod autem dicitur factus Deus, non convenit naturae secundum se, sed ratione unionis; unde non sequitur: *Homo factus est Deus; ergo Filius Dei factus est Deus*; sicut non sequitur: *Homo unitus est Deo; ergo Deus unitus est Deo*.

Ad quartum dicendum, quod non sequitur ex virtute locutionis: *Deus factus est homo; ergo est homo recens*: quia si homo assumptus secundum primam opinionem, vel humana natura, ab aeterno fuisset, nihilominus diceretur: *Deus factus est homo*. Unde, sicut in littera dicitur, non sequitur quod sit Deus recens; sed quod Deus sit recenser, id est de novo: et hoc non est inconveniens secundum primam opinionem.

Ad quintum dicendum, quod quantum ad tertium intellectum propositionis praedictae, procedit illud argumentum: unde prima opinio, quae secundum illum intellectum concedit propositionem, dicit, quod homo praeritelligitur ad unionem, ut dictum est dist. 6, in princ.; secundum autem primum sensum, in quo concedit eam secunda opinio et tertia, non sequitur.

Ad sextum dicendum, quod dictum Augustini intelligendum est secundum primum modum: quia

illa unio fecit ut Deus esset homo, et e converso.

Ad septimum dicendum, quod cum dicitur, *Homo non semper fuit Deus*, negatio potest negare totam propositionem, ut sit sensus: *Homo non semper fuit Deus*, id est, non semper fuit verum dicere, quod homo sit Deus; et secundum hoc sequitur veritas huius propositionis secundum primum sensum, scilicet factum est ut homo esset Deus. Vel potest negare praedicatum a subiecto, et sic falsa est; quia in propositione illa subicitur suppositum aeternum, quod semper fuit Deus.

Ad octavum dicendum, quod factio ponitur secundum rem circa naturam humanam: sed hoc nomen *homo* non supponit naturam humanam, sed suppositum aeternum; circa quod non ponitur factio secundum rem, sed secundum rationem tantum; non respectu Dei, quia semper ei inluit, sed respectu hominis; et ideo semper dicitur: *Deus factus est homo*; sed non convertitur.

QUAESTIO III.

Deinde quaeritur de locutionibus exprimentibus unionem cum hoc participio *praedestinatus*; et circa hoc quaeruntur duo: 1.^o utrum hic homo sit praedestinatus esse Filius Dei; 2.^o utrum Filius Dei sit praedestinatus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homo Christus sit praedestinatus Filius Dei.
(5. p., quaest. 24, art. 1.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod homo Christus non sit praedestinatus esse Filius Dei. Quia sicut illud quod semper fuit, non fit, ita id quod semper fuit, non praedestinatur, quia praedestinatio importat antecessorem. Sed homo Christus supponit suppositum aeternum, quod semper fuit Filius Dei. Ergo sicut ratione ista non potest dici quod homo sit factus Deus; ita non potest dici quod sit praedestinatus Filius Dei.

2. Praeterea, homo non importat nisi humanam naturam et suppositum aeternum. Sed humana natura non est praedestinata esse Filius, quia nunquam fuit nec est nec erit Filius Dei: similiter haec est falsa: *Divina persona, quae est suppositum aeternum, est praedestinata esse Filius Dei*: quia naturaliter et ab aeterno hoc habet. Ergo et haec est falsa: *Hic homo est praedestinatus Filius Dei*.

3. Praeterea, praedestinatio praecedit illud respectu cuius est. Sed aeternum non praeceditur ab aliquo. Ergo non potest esse praedestinatio respectu aeterni. Sed Filius Dei est aeternus. Ergo homo non potest esse praedestinatus Filius Dei.

4. Praeterea, quidquid est praedestinatum, ab aeterno fuit praedestinatum. Si ergo iste homo est praedestinatus esse Filius Dei, vel Christus, secundum quod homo; oportet quod ab aeterno homo fuerit praedestinatus. Ergo ab aeterno fuit homo: *praedestinatus enim est participium praeteriti temporis*; et huiusmodi participia vel verba restringunt nomen substantivum sibi adiunctum ad supponendum pro praeteritis.

5. Praeterea, praedestinatio etiam secundum nomen importat directionem in finem. Sed non potest aliquid dirigi in finem nisi ad minus secundum intellectum sit ante finem illum. Cum igitur

secundum secundam opinionem, etiam secundum intellectum, Christus non prius intelligatur homo quam Filius Dei; videtur quod ille homo non possit dici praedestinatus esse Filius Dei.

Sed contra, Rom. 1, 4: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*.

Praeterea, Christus est Filius Dei per gratiam unionis, et hoc est praevium ab aeterno, et a Deo propositum. Ergo Christus est praedestinatus esse Filius Dei.

Solutio. Respondeo dicendum, quod praedestinatio proprie accepta tria importat ex parte eius qui dicitur praedestinari. Unum est quod hoc ad quod praedestinari dicitur, aliquando sibi conveniat; secundum autem est quod conveniat sibi per gratiam; tertium vero est quod sequatur praedestinatio: ex hoc enim dicitur praedestinatus quod est praevius et praordinatus habiturus aliquid per gratiam. Quantum ad primum ergo horum, manifeste in Christo praedestinatio supposito convenit: quia hic homo est Filius Dei; sed hoc non invenitur in natura humana, quae nunquam fuit nec est nec erit Filius Dei: unde non proprie potest dici esse praedestinatus Filius Dei, sed ut assumatur a Filio Dei: hoc enim sibi convenit. Secundum autem invenitur in Christo secundum secundam opinionem et tertiam, non ratione suppositi, quod naturaliter est Filius Dei, sed ratione naturae assumptae, quae per gratiam unionis unitur Filio Dei: ex qua unione contingit hanc esse veram, *Homo est Filius Dei*. Sed secundum primam opinionem, etiam ratione suppositi: quia hoc quod supponitur per hoc nomen *homo*, non habet per naturam quod sit Filius Dei, sed per gratiam unionis, quia non est suppositum aeternum. Similiter etiam tertium quantum ad primam opinionem convenit homini ratione suppositi humanae naturae, quod quidem non fuit semper Filius Dei; secundum autem secundam et tertiam opinionem non convenit homini ratione suppositi, sed ratione naturae: quia suppositum illud semper fuit Filius Dei, sed non semper in humanitate existens fuit. Unde quantum ad duas ultimas conditiones magis propria est praedicta locutio secundum primam opinionem quam secundum alias, sed quantum ad primam conditionem est propria secundum alias, non autem secundum primam, secundum quam, ut praedictum est, quaest. 1, art. 1, non potest homo proprie praedicari de Deo, vel e converso.

Ad primum ergo dicendum, quod diversa consideratio nihil variat eorum quae sunt in re, variat autem ea quae pertinent ad actum animae. Hoc autem participium *factus* imponitur ab actu qui est in re. Ergo cum supposito aeterno secundum se non conveniat quod sit factus Deus, neque convenit ei secundum quod consideratur subsistens in humana natura. *Praedestinatus* autem est participium quod imponitur ab actu animae, scilicet praevideri, vel praordinari: et ideo quomvis supposito aeterno non conveniat secundum se praedestinari esse Filium Dei, convenit tamen sibi secundum quod est humanae naturae suppositum: sicut si homo fiat albus, haec est falsa, *Homo albus incipit esse homo*; sed haec potest esse vera, *Homo albus incipit cogitari quod sit homo*.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est, praedestinatio non est naturae, neque personae secundum se, sed personae ratione naturae assumptae:

Ad tertium dicendum, quod quamvis Filius Dei sit aeternus, tamen unio ad Filium Dei non est aeterna: et secundum hoc potest homo praedestinari esse Filius Dei, sicut Petrus praedestinatur et conjungatur Deo aeterno per gratiam vel gloriam.

Ad quartum dicendum, quod duplici ratione hoc participium *praedestinatus* non cogit hominem stare pro praeterito. Primo, quia licet secundum vocem sit praeteriti temporis, tamen includit participium futuri temporis: praedestinatus enim idem est quod praescitus habiturus aliquid per gratiam. Secundo, quia pertinet ad actum animae, et ex hoc habet vim ampliandi ad quodlibet temporis; sicut cum dicitur, *Homo laudatur*, potest intelligi de praesenti, praeterito, vel futuro: actus enim animae se extendit etiam ad ea quae non sunt.

Ad quintum dicendum, quod licet homo non praecognoscatur ad Filium Dei ratione suppositi, tamen praecognoscitur ratione naturae.

ARTICULUS II.

Utrum Filius Dei sit praedestinatus esse homo.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur, quod Filius Dei non sit praedestinatus esse homo. Praedestinatio enim praecedit praedestinatum. Sed Filius Dei nihil praecedit. Ergo ipse non est praedestinatus esse homo.

2. Praeterea, homo non dicitur aequivocum de Filio Dei et Petro. Sed Petrus non est praedestinatus esse homo. Ergo nec Filius Dei.

3. Praeterea, hoc dicitur alicui praedestinari quod convenit ei per gratiam. Sed non est gratia Filio Dei quod sit homo. Ergo Filius Dei non est praedestinatus esse homo.

Sed contra, omne quod est praevium et ordinatum ab aeterno est praedestinatum. Sed Filius Dei ab aeterno praevius est esse filius hominis. Ergo est praedestinatus esse filius hominis.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod haec sit vera: *Filius Dei praedestinatus est esse Filius Dei*. Quaecumque enim praedicantur de filio hominis, praedicantur de Filio Dei. Sed haec est vera: *Filius hominis praedestinatus est esse Filius Dei*, ut dictum est. Ergo et haec: *Filius Dei praedestinatus est esse Filius Dei*.

2. Praeterea, Filius Dei, in quantum est homo, praedestinatus est esse Filius Dei. Sed alia quae praedicantur de Filio Dei in quantum homo, praedicantur de ipso etiam sine reduplicacione; sicut Filius Dei, in quantum homo, est mortuus; et tamen haec conceditur: *Filius Dei est mortuus*. Ergo similiter haec debet concedi: *Filius Dei est praedestinatus esse Filius Dei*.

3. Praeterea, ad veritatem locutionis non oportet quod praedicatum per se subiecto conveniat, nisi circa subiectum reduplicacione ponatur. Sed praedestinatum esse aliquo modo convenit Filio Dei, quia in quantum homo. Ergo potest concedi simpliciter: *Filius Dei est praedestinatus esse Filius Dei*; quamvis non concedatur, quod Filius Dei, in quantum Filius Dei, est praedestinatus esse Filius Dei.

Sed contra, quod semper inest alicui, non praes. Th. Opera omnia. V. 7.

destinatur ei. Sed esse Filium Dei ab aeterno convenit Filio Dei. Ergo non praedestinatur ei; ergo haec est falsa: *Filius Dei est praedestinatus esse Filius Dei*.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur, quod haec sit vera: *Filius Dei praedestinatus est simpliciter*. Sicut enim praedestinatus importat effectum temporalem; ita mittitur et datur. Sed conceditur quod Filius Dei est missus et datus. Ergo etiam debet concedi quod Filius Dei est praedestinatus.

2. Praeterea, in aliis qui sunt praedestinati ad vitam aeternam, non oportet quod addatur ad quid praedestinatio sunt; sed sufficit eos dicere esse praedestinos. Sed Filius Dei est praedestinatus esse homo. Ergo Filius Dei debet dici esse praedestinatus simpliciter.

3. Praeterea, in Christo non est nisi unum suppositum. Sed de illo supposito potest dici simpliciter, quod sit praedestinatum: dicitur enim, quod homo est praedestinatus. Ergo potest Filius Dei esse praedestinatus.

Sed contra, aeternum non praedestinatur. Sed Filius Dei est aeternus. Ergo non est praedestinatus.

Solutio. 1. Respondeo, ad primam quaestionem dicendum, quod praedestinatio importat ordinem ad finem (quia praedestinare est mittere vel ordinare in aliquid); unde quando simpliciter ponitur, intelligitur praedestinatio ad finem ultimum, qui est in conjunctione ad Deum per gratiam vel gloriam, vel unionem in persona; sed quando additur ei aliquid, tunc importat praedestinationem tantum in illud quod ei adiungitur; et per hunc modum conceditur quod Filius Dei est praedestinatus esse homo, quia hoc ab aeterno praedestinatum est.

Ad primum ergo dicendum, quod praedestinatio non importat antecessorem ad praedestinatum simpliciter, sed in comparatione ad illud quod sibi praedestinari dicitur. Quamvis autem Filius Dei sit ab aeterno, non tamen ab aeterno fuit homo.

Ad secundum dicendum, quod suppositum Petri non fuit antequam esset Petrus homo; et ideo non potest dici quod sit praedestinatus esse homo; sed suppositum Filii Dei fuit antequam ipse esset homo; et ideo non est similis ratio. Et iterum Petrus nullo modo habet esse homo per gratiam; Filius autem Dei habet esse homo per gratiam unionis, non quidem sibi factam, sed humanae naturae.

Ad tertium dicendum, quod quamvis sit gratia Filio Dei quod sit homo, tamen hoc habet per gratiam unionis, per quam humana natura assumpta est in unitatem divinae naturae.

Solutio. 2. Ad secundam quaestionem dicendum, quod in sacra Scriptura dicitur aliquando aliquid fieri, quando innotescit. Ille ergo quod est esse Filium Dei, potest accipi vel secundum rei veritatem, vel secundum evidentiam, prout scilicet manifestatur. Si primo modo, tunc falsum est quod Filius Dei sit praedestinatus esse Filius Dei, cum non ponatur in locutione aliquid respectu cuius possit denotari antecessio, quam importat praedestinatio. Si autem accipiatur secundo modo, sic Glossa (Oecumenii) super illud Rom. 1: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*, concedit quod Filius Dei praedestinatus sit ut sit Filius Dei, id est ut evideret

apparet; quod fuit in resurrectione factum; unde et ipse tunc dixit (*Matth. ult.*, 18): *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*; et secundum hunc sensum est eadem ratio de ista sicut de praecedenti, qua dicitur: *Filius Dei praedestinatus est esse homo*: quia praedestinatio simpliciter importat praedestinationem. Quantum ergo ad primum sensum haec est falsa: *Filius Dei est praedestinatus esse Filius Dei*.

Ad primum ergo dicendum, quod eorum quae dicuntur de homine, illa tantum dicuntur de Filio Dei quae non habent repugnantiam intellectum ad Filium Dei. Sed praedestinatus habet repugnantiam: quia Filius Dei aeternus est; praedestinatio autem importat antecessorem, quae non est respectu aeterni.

Ad secundum dicendum, quod illa quae praedicantur de Filio Dei inquantum est homo, non habent aliquam repugnantiam ad Filium Dei; et ideo non est similis ratio.

Et similiter dicendum est ad tertium.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod haec similiter est falsa: *Filius Dei est praedestinatus*, cum non ponatur aliquid respectu cuius possit antecessio denotari; sed haec: *Filius Dei est praedestinatus inquantum est homo*, est vera: quia potest importari antecessio respectu hominis quantum ad naturam.

Ad primum ergo dicendum, quod missio non importat temporalitatem in eo qui mitti dicitur, sed magis in eo ad quem mitti dicitur, in quo per novum effectum inhabitat; et ideo mitti dicitur persona divina. Sed praedestinatus ponit posterioritatem respectu praedestinationis in eo qui praedestinatur; et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod in aliis praedestinatis potest antecessio importari respectu ipsorum qui praedestinati dicuntur; quod non est de Filio Dei; et ideo non est similis ratio.

DISTINCTIO VIII.

An dicina natura debeat dici nata de Virgine.

Post praedicta inquiri debet, utrum de natura divina concedendum sit quod de virgine sit nata, sicut dicitur de virgine (4) incarnata. Et videtur utique non debere dici nata de virgine, cum non sit nata de patre. Quae enim res non est de patre genita, non videtur de matre nata; ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate, quae illud non tenet in Divinitate. Videtur tamen posse probari, quod sit nata de virgine: quia si hoc est Deum nasci de virgine, scilicet hominem assumere in utero virginis; cum natura divina superius dicta sit hominem assumpsisse, videtur debere dici nata. De hoc Augustinus (*Fulgentius*) in lib. de Fide ad Petrum (*cap. 2*) sic ait: *Natura aeterna atque divina non posset temporaliter concipi et nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis humanae, veram temporiter conceptionem et nativitatem ineffabilis Divinitatis in se accepisset. Sic est Deus aeterna veraciter secundum tempus et conceptus et natus de virgine.* *Ista auctoritate videtur insinuari, quod natura divina sit nata et concepta de virgine. Sed si diligenter notentur verba, potius de persona agi intelligitur, quae sine dubitatione et de patre et de matre nata esse dici debet.*

(1) Nicolai addit fuisse.

Ad tertium dicendum, quod quamvis non sit nisi unum suppositum, tamen est duarum naturarum suppositum; et potest sibi aliquid convenire respectu unius naturae quod non convenit sibi absolute, sicut esse creaturam.

Expositio textus.

Factus est sine dubio id quod prius non erat. Haec locutio est impropria: quia non potest intelligi neque de natura, quia Deus non est factus humana natura; neque de persona, sive de supposito, quia illud suppositum semper fuit, secundum secundam opinionem; unde exponenda est: *Illud quod prius non erat, idest, habens naturam quam prius non habebat.*

Quia Deus assumpsit hominem, idest humanam naturam, ut supra, dist. 3, glossavit; alias esset contra hanc opinionem quae dicit, hominem non esse assumptum, sed humanam naturam.

Variatur autem intelligentia, cum dicitur, Deus est homo, et homo est Deus. Ratio variationis est quia divina natura praedatur de Christi persona, non autem humana.

Quod etiam dictum est utrumque est, Christus, et una persona, movere potest lectorem. Hoc positum est supra in illo capitulo: *Sed his videtur ad-versari.*

Hic etiam cum dicitur, minor est Patre Christus secundum quod homo, secundum habitum hoc intelligunt dictum. Ideo hoc exponit secundum hanc opinionem, quia haec opinio non potest hoc sustinere, cum supra dixerit Augustinus in 1 lib. (*dist.*, 16), quod Spiritus sanctus non est minor seipso propter columbam in qua visibiliter apparuit.

Hoc firmiter tenens quod Deus hominem assumpsit. Exponendum est ut supra, ut homo ponatur pro natura humana, sicut ipse docuit supra, *dist.* 3, exponere.

De gemina nativitate Christi, qua bis natus est.

Quaeri etiam solet, utrum debeat dici Christus bis genitus, ut dicitur Dei et hominis Filius. Ad quod dici potest, Christum bis natum esse, duasque nativitates habuisse. Unde Augustinus (*Fulgentius*) in lib. de Fide ad Petrum (*cap. 2*): *Pater Deus de sua natura genuit Filium Deum, sibi coaequalem et coaeternum. Idem quoque unigenitus Deus secundo natus est, semel ex patre, semel ex matre. Natus est enim de Patre Dei Verbum, natus est de matre Verbum caro factum.* *Unus igitur atque idem Dei Filius natus est ante saecula, et natus in saeculo; et utraque nativitas unius est Filii Dei, divina scilicet et humana.* De hoc etiam Joannes Damascenus ait (in lib. 3, *cap. 7*, circa med.): *Duas Christi nativitates veneramus: unam ex Patre ante et naturam; et unam quae in ultimis temporibus propter nos et secundum nos et super nos: propter nos, quia propter nostram salutem; secundum nos, quia natus est homo ex muliere, et tempore conceptionis, scilicet non veni mensium: super nos, quia non ex semine, sed ex Spiritu sancto et sancta virgine supra legem conceptionis.* *Ex his manifeste apparet, Christi duas esse nativitates, eundemque bis natum fore.*

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de his quae conveniunt Deo incarnato, quasi experimentia unionem, hic determinat de his quae conveniunt ei consequentia unionem; et dividit (1) in duas partes: in prima determinat de his quae conveniunt uni naturae ex unione ad alteram; in secunda de his quae conveniunt personae ratione naturae assumptae, 10 *dist.*, ibi: *Solet autem a quibusdam inquiri utrum Christus secundum quod homo, sit persona, vel etiam sit aliquid.* Prima dividitur in duas: in prima determinat quid conveniat divinae naturae ex unione ad humanam; in secunda quid conveniat humanae ex unione ad divinam, *dist.* 9, ibi: *Praeterea investigari oportet utrum caro Christi et anima una eademque cum Verbo debeat adorari et adorari.* Prima dividitur in duas partes: in prima inquiri, utrum divina natura debeat dici nata in Christo ex unione ad humanam; in secunda quomodo Christus dicatur natus, ibi: *Quaeri etiam solet, utrum debeat dici Christus bis genitus.* Circa primum duo facit: primo movet quaestionem, et solvit; secundo objicit in contrarium, et solvit, ibi: *Videtur tamen posse probari quod sit nata de Virgine.*

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur quinque: 1.º quid sit nativitas, et quorum proprie est nasci; 2.º utrum humana natura in Christo debeat dici nata; 3.º utrum natura divina debeat dici nata de Virgine; 4.º de duplici Christi nativitate; 5.º utrum sint in Christo duae filiationes.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum solummodo in viventibus sit nativitas.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod non solummodo viventium debeat dici nativitas. Natum enim idem videtur quod genitum. Sed generatio invenitur in omnibus corporibus a lunari globo inferius, quae non omnia vivunt. Ergo videtur quod non solum viventium sit nativitas.

2. Praeterea, idem videtur esse oriri et nasci. Sed dicimus ea oriri quae non vivunt; sicut dicimus quod sol oritur, et fons oritur. Ergo nativitas non solum in viventibus reperitur.

3. Praeterea, vivere substantiarum solum est. Sed nasci, sive oriri, invenitur in accidentibus: dicimus enim splendorem oriri a sole, et calorem ab igne. Ergo nasci non solum viventium est.

4. Praeterea, hoc solum est ingenitum quod non est natum. Sed illa sola dicuntur ingenta quae semper fuerunt, sicut Philosophus ponit caelum ingentum, quia secundum eum semper fuit. Ergo solum illa non sunt nata; ergo quaecumque incipiunt esse, dicuntur nasci.

5. Sed contra, videtur quod non omnium viventium sit nasci. Nativitas enim causat filiationem. Sed filiatio non invenitur in plantis, quae tamen vivunt. Ergo nec nativitas.

6. Praeterea, constat quod embria vivunt; nec tamen dicuntur nata. Ergo non omnium viventium est nativitas.

(1) Al. haec dividitur.

7. Praeterea, sicut inanimata corpora generantur ex causa extrinseca; ita etiam animalia generata per putrefactionem. Sed inanimata non dicuntur proprie nasci ratione praedicta. Ergo nec animalia generata ex putrefactione.

8. Praeterea, Spiritus sanctus procedit a Patre ut vivens a vivente; nec tamen nasci dicitur. Ergo nec omnis processus rei viventis est nativitas.

Solutio. Respondeo dicendum, quod cum generatio sit communis omnibus corporibus corruptibilibus, tamen in corporibus animatis est specialis modus generationis; et propter hoc etiam habent specialiter inter alias vires animae vim generativam: in viventibus enim primo ex generante dicitur aliquid quod est sufficiens ad generationem quantum ad principium activum et passivum; quamvis in quibusdam idem generans sit quod utrumque ministrat, sicut in plantis, quae non habent sexum distinctum. In quibusdam autem, scilicet quae habent sexum distinctum, a mare ministratur principium activum, a femina principium materiale; et animalia in coitu, secundum Philosophum (*lib. 1 de Gener. anim., cap. ult.*), sunt quasi unum generans, sicut dicitur *Genes. 11, 24: Erunt duo in carne una.* Et ideo sequitur secundum, scilicet quod generatio est per modum exitus a generante, quod non est in generatione inanimatorum. Tertium autem est quod generatum exiens a generante, in principio generationis adharet ei, et est in eo vel per contactum, vel per consolidationem, sicut dicit Philosophus (in 3 *Metaph., text. 3*), ut patet in fructibus, qui colliguntur plantis; et de embrione, qui adharet secundum contactum matri. Et quantum ad tres has conditiones res viva, inquantum generatur, habet tria nomina sibi propria. Secundum enim quod principia sufficientia suae generationi ministrantur a generante, dicitur gigni, vel genita esse (1); secundum autem quod generatur per modum exitus, dicitur oriri; secundum autem quod generatur ut conjunctum generanti, dicitur nasci; sic enim generans et generatum est quasi res una; et ideo, cum nomen naturae a nascendo sumatur, illa dicitur esse per naturam quorum principium intus est in ipsis. Et sic patet quod nasci proprie dicitur illud quod egreditur a generante conjunctum ei, habens ab ipso principia sufficientia generationi.

Ad primum ergo dicendum, quod genitum, secundum quod est idem quod natum, non dicitur a generando, sed a gignendo; unde quamvis inanimata proprie dicuntur generata, non tamen proprie dicuntur genita neque nata.

Ad secundum dicendum, quod sol et aqua fontis dicitur per similitudinem oriri, inquantum scilicet egreditur de occulto in manifestum.

Ad tertium dicendum, quod similiter accidentia inquantum sunt virtute in principis essentialibus, causantur per modum exitus; et ideo dicuntur oriri per similitudinem, et possunt etiam dici nasci, inquantum adhaerent subjecto quod est causa ipsorum.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicit Damascenus (*de Fide, lib. 1, cap. 9*), *ingenitum* per duplex n scriptum, est idem quod increatum, sive aeternum; et sic accipit Philosophus; *ingenitum* autem per unum n scriptum idem est quod non generatum; et sic hic loquimur.

(1) Al. est.